

26.1

1978

M

484





may 1875

CODICEM
ANTIQUVM LATINVM
QVATVOR EVANGELIA
CONTINENTEM
BREVITER DESCRIBIT
ET
ORATIONES QVATVOR
OB
COMITIA RVTHENIAE
IN GYMNASIO HABENDAS
EA QVA DECET
PIETATE ET OBSERVANTIA
INDICIT
HENRICVS AVGVSTVS ZEIBICH
ILL. RVTHEN. PROFESS. ET
BIBLIOTHECAR.

35

2193

CODICEM
ANTIOVVM LATINVM
QVATVOR EVANGELIA

COMMISSIONEM
MEDICINAE
ET
ORATIONES QVATVOR

COMITIA
IN GYMNASIO
HABITA
HABITA DE



Kamel 78 M 484 (26)

HIER VAS AVGVSTVS ERIT
ET EVANGELIUM
PAGINA



Magnam uniuersae Rutheniae decus ornamentumque affert Bibliotheca, ab HENRICO POSTHUMO, immortalium in Illustrae Ruthenaeum, bonas literas, totamque regionem, meritorum gloria insigni, constituta, ab insequentibus CELSISSIMIS COMITIBUS locupletata, a NVTRITORIEVS autem nostris INDVLGENTISSIMIS COMITIBVS RYTHENIS, longe Munificentissimis, qui Sua nunc praesentia honorificentissima Geram ornant, nouis egregisque subsidijs adornata. Sed in ea tamen, haud exigua, librorum supellectile Codices non spernendi, in hisque Codicibus Membrana maxime, quae Latinam IV Evangeliorum Versionem complectitur, ad memoriam profecto illustris, reperitur, et partim ob antiquitatem, partim ob dignitatem splendoremque, partim ob accuratas, quas continet, lectiones, plurimi est omnino facienda, paucosque Codices Latinos, iisdem omnibus simul uirtutibus ornatos, pares habebit. Qua quidem de Membrana cum in praesentia, quanquam ob angustos, quibus includimur, limites breuiter, hortatu Patroni cuiusdam maximopere colendi, exponere in animo habeamus, ita quidem de ea differemus, ut primo in uetustatem ipsius inquiramus, tum eandem describamus, et quae ad picturas, literas, uersionemque pertinent, afferamus

Censemus autem hunc Codicem Saeculo X. exaratum, ad eamque sententiam ingrediendam his potissimum rationibus mouemur. Exstat in eo pictura, Imperatoris cuiusdam, qui Ottonis Potentis splendidissimo nomine insignitur, imaginem representans, literis adiectis. *Caesaris Ottonis splendescit imago potentis.* Iam, cum priores duo Ottones Saeculo X. fato fuerint defuncti, tertius autem A. MII. rebus humanis ereptus, ad unum certe trium horum Caesarum spectare picturam, nemo est, qui facile infitietur, propter ea, quod tempora Ottonis IV, Saeculo XIII. demum florentis, nimis a pulchritudine ac uenustate literarum, qua in primis hic Codex excellit, aliena sunt, maioremque barbariem rudi et obscuro scripturae genere declarant. Accurate hoc erudi-

reque Struuius (a) edidit, dum, *Seculo X.* inquit, *notor literarum adhuc maior, quae vel maxime cum nostris conueniunt, et minores sunt prioribus Seculis. Calligraphia praesertim pro nota antiquitatis est habenda.* Quae, si nostrum oculis codicem usurpasset, non distinctius potuisset Struuius exprimere, adeo omnia haec indicia conueniunt in ipsum. Imo uero respondet scriptura eiusdem maximam partem Diplomati Henrici Aucupis, *Sec. nimirum X.* exarato, et a Baringio (b) publicato, quin etiam nonnullae literae, ut g. t. i. literas Diplomatis a. 970 conscripti, et a Walthero (c) cum orbe erudito communicati, ita aequiparant, ut nihil supra. Ex quibus efficitur, ut Membrana sine ulla dubitatione Seculo sit Decimo assignanda.

Sed accedamus propius, et, quantum obscuritas temporum nostrae imbecillitas permittant, cuiusnam Ottonis praeferat illa imaginem, uideamus. Tantum uero abest, ut eam ab aetate Ottonis I. longe abesse existimemus, ut potius, huius effigiem spectandam nobis praebere, putemus, eiusque temporibus Codicem hunc descriptum arbitremur. Appellatur Otto, in hoc libro pictus, potens. Sed quis est, qui hunc honorem eripiat Ottoni Primo, tot bellorum feliciter gestorum, tot expugnarum regionum, tot constitutarum sedium facrarum, tot aliorum meritorum immortalium laude inclyto, ut nulla sane eius famam obscuratura sit obliuio. Iam eadem potentia ipsi a Luitprando (d), uindicatur. *Peperit Mathildis uiro suo filium, quem uocauit Ottonem, ipsum inquam, cuius mundi partes, aquilonaris et occidua, potentia reguntur.* Sed alia super sunt argumenta. Tribuit Ottoni I. Witichindus (e) molem corporis, oculos rutilantes, faciem rubicundam, et prolixiorem, contra morem antiquum, barbam. Sed has omnes notas imago Imperatoris continet, in Codice depicti. Gestat in eodem Otto coronam apertam, tribus cuspidibus insignem, atque eadem ratione Caesaris huius coronam ex sigillo ipsius Waltheris, loco ante commemorato, repraesentat. Quid, quod literae huius MS. ut ante obseruauimus, cum Diplomate a. 970, obtinente Ottone I. principatum, adeo

(a) Struu. de Criteriis MS. f. 23
 (b) Baring Clau. Diplom. Tab. VI
 (c) Walther Lex. Diplom. Tab. V

(d) Luitprandus IV. 7
 (e) Witichindus Annal. lib. II. p.

consentiant, ut quam proximè ad similitudinem huius accedant. Nec sine omni ratione Monachus insignia Caesaris, quae, Fabricio (f) teste, inauguratus accepit, cuncta exprimere uoluisse uidetur, quo certius dignitatis splendorisque huius posteritati transmitteret documenta.

Interim, ne qua in animis lectorum relinquatur dubitatio, ipsum locum, quo conscriptus fuit liber, consideremus, numque eius ullam rationem habuerit Otto I, nam eo res omnis redierit tandem, uideamus. *Augia quem sicut Monachus sacra munera promit.* Appellatur ergo Augia, mater pii huius hominis et liberalis nutrix. Sed quaenam est haec sedes literarum, quod refugium uirorum, sacris disciplinis deditorum? Duae quidem sunt Augiae ad lacum Venetum, seu, ut plerumque uocatur, Podamicum, quarum altera ad urbem Brigantiam, unde lacus Brigantinus, Augia maior, altera haud procul urbe Cella, ex qua lacus Cellensis, dicitur, Augia diues, in ipso hoc lacu insulae speciem effingens (g). Quamquam enim has urbes duas confudisse Trithemius (h) uidetur, et Pirminium in Augia Maiore, in insula Rheni, haud procul Constantia, Monasterium tradit fundasse, hunc tamen scriptorem a uero non nihil aberrasse putamus, propterea quod in Augia Diuite, a. 724. S. Pirminius claustro huic sanctiori praefectus fuit, in Augia contra Maiori iam a. 614. S. Columbanus primus Antistitis sustinuit personam (i). Praeterea, quae simpliciter, nullo adiecto cognomine, Augia uocatur, Augia est diues, ut Mabillon modo citatus obseruat. Nisi forte et haec Diues, ob dignitatem sui et praestantiam, sicut certissime reor, fuerit interdum Maior appellata, et, cum id Versus antiqui Tibiani, eo tempore florentis, apud Goldastum (k), et Althamerus Brenzianus apud Schardinum (l), haud obscure declarent, Trithemius ideo excusandus uideatur. Iacet autem haec Augia Diues in medio Rheno et insulam format, Ouwa seu Auwa olim dicta, antiquioribus autem temporibus Sindlacis-Ouwa, seu, ut Bruschius (m) docet, Sindlesolow, quasi Sindelsi

(f) Fabricius Saxon. p. 127

(g) Mabillon Annal. Benedic. Vol. II. p. 73

(h) Trithemius Ann. p. 61

A 3 Augia
(i) Buccelinus German. P. I. part. 2.

p. 8.
(k) Goldastus T. I. p. 168

(l) Schardinus OO. Hist. T. I. p. 10

(m) Bruschius Hist. Monast. p. 30. seq.

Augia uocata, a Sindlesio quodam, uel, ut Mabillon scribit, Sindlace, qui insulam istam Pirminio habitandam concessit. Iecit fundamenta huius Monasterii S. Pirminius A. C. 724, Abbas modo et Chor-Episcopus a uetustioribus, teste Mabillonio, appellatus. Duis Caroli Martelli subsidiis adiutus, cum Monasterio, tum Academia, eodem auctore, hunc locum reddidit illustrem, ita, ut initio modo Principes, Comites, et Barones in literas ibi, quod Bruchius recenset, incubuisse memorentur. Itaque, et innumerabilem Principum et Procerum Germaniae multitudinem coelo asseruisse, et maximorum Germaniae Pontificum exhibuisse promptuarium, Bucelinus fatetur (n). Ex quo factum est, ut Pipius pariter atque Carolus M. amore eius capti, totum pagum Vlmensem redditibus huius Monasterii assignarint, eaque re Diutis ei nomen (Reichenau) eodem comprobante Bruchio, conciliarint. Iacet in ea solitudine erudita, si fabulis fidem habere uelis, corpus S. Marci Euangelistae sepulchrum, qui Marcus, minime uero Pirminius, ut Mabillon sibi persuadet, istam quoque insulam omnibus bestiis, uenenum spargentibus, liberasse perhibetur (o). Tanto tamen certius Carolus Crassus, alique principes ibi conditi sunt, magnis, quibus hoc Monasterium assecerunt, beneficiis insignes

Sed num unquam Augiae Diutis habuerit rationem Otto I. ad quem hic Codex, a Monacho Augiensi conscriptus, peruenit? Minime uero dubitamus. Commoratus quondam fuit Brisacia (p), urbe haud ita longo spatio ab Augia posita, ob eamque causam fortasse hoc ipsum Monasterium eo tempore uisitauit. Fuit certe in Sueuia, et contra filium suum Ludolfum mouit exercitum ad urbem Tullam, haud procul Vlma (q), quia etiam Augustam Vindellicum accessit, ibique Berengarium in gratiam recepit (r). Omnino uero ad Lacum Podamicum adiisse, haud omni argumento destituti arbitramur. Etenim constat, Hungaros cum incredibili exercitu in Sueuiam irruentes, a 955 ab Ortone feliciter debellatos fuisse, quam uictoriam et Dithmarus, et Hermannus

(n) *Bucelinus* German. Part. I.

p. 38

(o) *Tibianus* ap. Goldastum T. I.

p. 108

(p) *Otto Frisingensis* VI. 19

(q) *Mascou.* de reb. I. R. G. a Conrad. I. p. 42

(r) *Witichindus* III. p. 25

mánnus Contractus (r), copiose recensent. Sed hos ad Lacum Brigantium, qui idem est ac Podamicus, peruenisse, bonae explorataeque scriptor fidei, Guilimannus (s), testatur. Accedit, donasse hoc Coenobium liberalissime Hedwigen, Henrici Aucupis filiam, Ottonis I. sororem (u), cum anno 956. in arcem Hegouianam, prope Constantiam, ob imminētis belli periculum confugisset. Num igitur fratrem Ottonem latuisset haec religionis sedes, num, quam soror tantis accessisset beneficiis, eius ipse nullam plane curam gessisset? Gessit uero, et Abbates, cum de sua deturbauit dignitate, tum in eiusdem praecipuo gradu collocauit. Sic enim Bruschius. *Eccenhardus successit Alawico a. 958. sed non admodum utiliter. Eius temporibus ad summam angustiam et inopiam res Coenobii redactae erant, iccirco ab Ottone Imperatore exauctoratur, apud quem a Conuentualibus accusatus erat, quod inutiliter praecessit. Pro eo igitur constituit Otto Magnus Imperator a. 972. Rodemannum.* Ipse tamen Eccenhardus, ut facile coniectura assequi possis, nihil de hac Monasterii iactura damnoque affert, sed quosdam de fratribus S. Galli apud Ottonem detraxisse docet, qui autem, ut Codex MS. in margine docet, Augiensis fuerunt, in iisque potissimum Rodemannus appellatur (x). Iam si pietatem in primis Ottonis I. recordamur, qua ante alios clarissimus fertur (y), si eiusdem aetate non modo ueteres libros conquisitos, sed etiam nouos descriptos, recolimus (z), profecto huic, tam immortalis memoriae, tantaque religionis, Caesari, IV. Euangelistarum Volumen oblatum fuisse, nullo modo miramur.

Sed iam ipsum hunc Codicem elegantem, et dignum sane principis aspectu, paulo studiosius contemplemur. Quem quidem enoluentibus nobis prima se offert imago Caesaris, literis maioribus aureis, hanc referentibus sententiam, inscripta. *Caesaris Ottonis splendescit imago potentis.* Sedet Imperator sella, ad quam duobus gradibus ascenditur, sede puluinari rubro substrata, ac super ipsum Caesaris imagine magna stellarum multitudo, uelut quidam Nimbus facer, apparet.

(r) *Dithmarus* p. 322. et *Herman-
nus Contract.* ad a. 955

(s) *Guilimannus* in *Habsburgiac.*
p. III

(u) *Bruschius* p. 30

(x) *Eccenhard.* ap. *Goldast.* T. I.
p. 379

(y) *Wittichindus* lib. II. fin.

(z) *Hecht* German. S. p. 249


ret. Ipsa sella, cui tergum acclinat, tapetis uariis et clauis aureis, excellit. At Augustus corona aperta, et tribus cuspidibus ornata, cinctus, barba ingenti, totum fere caput ambiente, exsplendescit. Quam dum aspicio barbam, non possum, quin ridiculae illius historiae recorder, quam Lehmannus (a) memorauit. Versatus quondam in aula Caesaris, tempore Paschatis, est Dux quidam Sueuiae, cuius nomen tacetur, qui partem placentae Paschalis, coram Imperatore propositae, decerpit. Quo conspecto Dapifer Ottonis, baculo uulnus ipsius capiti infert, sed amicus et praeceptor Ducis, Henricus a Kempten, ita haec exacerbatur audacia, ut Dapiferum ferro, opinione omnium celerius, trucidet. Mouetur huius rei insolentia Imperator, eumque statim ad mortem duci iubet. Sed Henricus a Kempten, ne inultus moriatur, ipsum Ottonem furorē incensus comprehendit, eiusque barbam ita inuadit, uellicat, dicitur, ut magnam ipsius capillorum partem euellat. Interim, cum iam ad supplicium trahitur, Otto statim absolui eum incolumemque seruari iubet, magno ob impotentem sui ipsius animum dolore affectus, quod sacro Paschatis morti ad dixerit indemnatum, iniuriamque sibi illatam iustissimam Numinis poenam iudicat, Henricum autem, ob barbam sibi euulsam, a suo remouet conspectu. Denique Otto in membrana nostra coeruleam uestem, clauis aureis, seu potius notis, quae crucis referunt imaginem, distinctam, gestat; trabeam sine dubio, ut ueteres appellant, baltheum praeterea et armillas, sinistra sceptrum aureum, cui aquila est imposta, tenet, eique simul, quo certius teneat, dextram admo-uet. Haec si intueor, in memoriam redeo inaugurationis publicae, ab Imperatore susceptae, qua Hildebertum, Episcopum Moguntinum, ei gladium, baltheum, armillas, trabeam et sceptrum, tribuisse, circumstantibus amicis praecipuis, Fabricius (b) enarrat, eumque simul actum, puto, Monachum ante oculos ponere uoluisse. Tota uero Caesaris effigies columnis aureis, quae portae prae se ferunt speciem, cincta conspicitur. Opposita huic est Monachi persona, raso capite, habitu modesto, prono corpore et ad flectenda genua parato, librum hunc offerentis, supra ascriptis literis. *Augia quem fouit Monachus sacra munera promit.* Insequitur altero folio pictura, columnis rursus aureis inclu-

(a) Lehmannus Chronic. Spirens.
p. 343

(b) Fabricius Saxon. Illustr. p.
127

sa, membrana in medio coeruleo, sed magis fusco, quam uestis Caesaris, colore
sincta, eamque rubrae trabes diuidunt, quibus aurata uerba sunt inscripta. *Incipit*
Prologus quatuor Euangeliorum. Excipit haec eadem pulchritudine con-
scriptum *Diui Hieronymi in Commentarios super Matthaeum proemium,*
cuius priores septem lineae aureis sunt coloribus decoratae, ac litera potissi-
mum prima multi laboris studique fuisse uidetur. Cernitur tunc Hieronymi
epistola ad Damasum, posteaque in Membrana, rubro colore illita, inauratis
rursus literis Hieronymi, ut uulgo uocantur, Canones, quatuor Euangelifarum
inter se consentientium indicia, reperiuntur, ita tamen, ut numeri non uersus,
qui deficiunt in codice, sed *εἰς*, more antiquissimorum Codicum (c),
designent. Posthaec folium, rubro rursus colore et crucis forma distinctum,
continet uerba. *Incipit argumentum secundum Matthaeum.* Adiecta tum est
breuis descriptio uitae rerumque, a Matthaeo gestarum, haud ab Hieronymo,
cuius in commentariis desideratur, profecta, digna tamen, ex qua nonnulla
memoremus. *Cuius (Matthaei) uocatio ad dominum ex publicanis actibus*
fuit. Eleganter et apte ad seueritatem publicanorum declarandam. *Natus ex*
uirgine, passus in carne, omnia in cruce fixit (Chirographum nempe nostrum
et peccata, Coloss. II.) *ut triumphans ea in semetipso, resurgens in corpore, et*
patris nomen in patribus filio, et filii nomen patri restituens in filiis. Haec
sane acutum requirunt lectorem, ut alia taceamus ex eodem exordio, paulo
obscuriora, cuius auctorem ignoramus. Orditur postea Breviarium, ut dicitur,
eiusdem, quo cuiusque capitis argumenta recensentur. Quibus praemissis ef-
fecta est imago Matthaei, scabello teaui insidentis, nimbo circumdati, nudis
pedibus, sinistra autem manu, nescio quid, cornu tamen haud dissimile, tenen-
tis. Ad cuius sinistram uultus humani est species, signum Matthaei, sed duabus
quidem alis ornata. Insequenti folio ipse Matthaeus incipit, primoribus duabus
literis uocis, *liber*, mira arte et ingenti studio, uiriditer aureo colore, inscriptis.
Tenetur hic mos, quotiescunque nouum Euangelium capit initium, nisi quod
partim praefationes, partim insignia, differunt. Ex praefatione quidem Marci
haec potissimum obseruamus, nondum fortasse, si coniciere liceat, literis publi-
cata. *Marcus Petri in baptismo filius . . . Euangelium in Italia scripsit. . .*
Non

(c) Montfaucon Palaeogr. Gr. p. 23. 29



Non solum uerbum caro factum, sed corpus domini in omnia per uerbum diuinæ uocis animatum. - Denique amputasse sibi post fidem pollicem dicitur, ut sacerdotio reprobis haberetur. Ut alia haud sane perspicua omittamus. Præmissis argumento capitum conspicitur Marci imago, eadem fere, qua Matthæi, pulchritudine elucens, nisi quod ad sinistram pluteus, librum euolutum sustinens, et ad dextram partes leonis alati anteriores spectantur. Præfatio, Lucae Euangelio præfixa, hæc complectitur notatu in primis digna. *Lucas Syrus, Antiochenfis, arte medicus - seruans domino sine crimine, nam neque uxorem unquam habuit, neque filios. - Cui Lucae non immerito etiam scribendorum apostolicorum actuum potestas in mysterio datur.* Iam imago erat Lucae describenda, sed hanc nefaria et sacrilega manu, ex Codice tam splendido et sancto, excelsam fuisse, cuius rei indicia adhuc manifesta apparent, maximopere dolemus. Conuertit denique nostrum in se animum præfatio Ioannis, ex qua nonnulla excerpemus. *Vnus ex discipulis domini, qui uirgo electus a domino est, quem de nuptiis uolentem nubere (ducere) uocauit dominus. - Primum signum ponens, quod in nuptiis fecit dominus, ut ostendens, quod erat ipse, legentibus demonstraret. - Hic est Ioannes, qui sciens superuenisse diem recessus sui - descendens fossam sepulchrae suae locum, facta oratione positus est ad patres suos, tam extraneus a dolore mortis, quam a corruptione carnis inuenitur alienus.* Sed hæc, ex Bedæ Venerabilis in Iohannem præfatione deprompta fuisse, postea cognouimus.

Supereſt, ut, propter angustias spatii, scripturam huius Codicis uersionemque breuiter declarem. Literæ sunt minores et Gothicae, quo quidem Sec. X. exaratas appellat nomine Struuus (d), accurate omnino et eleganter pictæ, ita tamen, ut nulla litera uno ductu cum altera connexa sit, sed quæque seorsim collocata. Elementa æ et œ seîuncta sunt, quæ pariter, Struuio recte iudicante, uerulatis est nota. Nusquam hic, more recentiorum nostrorumque plurimorum scriptorum, u sed semper tu conspicitur, etiam in maioribus litteris, quod mirere, ut Uae, uerbum, obumbravit. Puncto desinitur litera i, duæ uocales saepe in unam contrahuntur, ut Matth. 17. eicere., et cap. 5. proice. ut apud Virgilium, tu Tityre reice capellas. Pingitur y, ut nostrum i. Interdum

(d) Struuus de Criter. MS. f. 13. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

dum duae voces coniunctae leguntur, sed plures nunquam. Compendia scri-
 bendi reperias rariora, nisi in his. *ihm. xpm. Tpl. tel.* (Luc. II. init.) *di*, pro
 domini, et alia adhuc sed paucissima. Litera prima, sub initium cuiusque ca-
 pitis, pulcherrime est picta, uel rubro uel coeruleo uel uiridi colore, et insuper
 inaurata, perinde, atque initio cuiusque *σχοῦ*, minor quaedam, ex maiusculis
 tamen, auro est efficta. Litera E formam habet antiquae Graecae *Ε*, eamque fi-
 guram antiquissimis Codicibus Baring assignat (e). M sicut in uersum *o* cernitur.
 Notae interpunctionis nullae deprehenduntur, nisi puncta, interrogandique
 signum, quorum postremum ad similitudinem nostri proxime accedit, priora
 autem duplicis sunt generis, alia in summo, alia in medio, collocata. Illa uniter-
 sam periodi sententiam terminant, haec membri modo cuiusque, itaque illa
 punctorum nostrorum, haec commatum, sustinent uicem. Capita quidem ex-
 tant distincta, sed mox longiora, mox breuiora, nostris, quae in libris prelo
 scriptis legimus, ideoque et Marci tantum 13. Lucae 21. Ioannis modo 14. capita
 in margine numerantur. Adiuncta sunt loca, quae uocamus *παράλλαλα*, ex
 Euangeliorum reliquorum conditoribus notata. Certis quidem interuallis dis-
 tinctus est sermo sacer, sed haud uersibus illis, quibus nunc utimur, uerum
σχοῖς, antiquorum Codicum propriis, interdum duas aut tres, saepius tamen
 plures, lineas complexis. Ad extremum adiuncta est series locorum certorum,
 ex Euangelis depromptorum, quae diebus Sabbathi uel festis, publice coram
 concione recitari et explicari deberent. Occurrunt in his. *In Natale domini*
ad diuersos sanctos et sanctas, in octaua domini, (sacro circumcisionis,) in
Teophania, Februarii die II. seu sacro purgationis Mariae. Deficiunt autem
 tum nonnullae plagulae sine dubio, quoniam hic index a mense Martio ad
 Septembrem, ut scribitur, *statim* delabitur. Huius posterius memorati men-
 sis dies 29. (seu sacrum Michaelis in honorem institutum) pariter celebratur,
 et destinatur *aecclae* (ecclesiae) *Archangeli*. Ipsa denique uersio Latina, ex Vul-
 gata antiqua, et ab Hieronymo emendata, fluxit, et, si discesseris a paucissimis,
 aliter conuersis, cum ea accuratissime conspirat. Cuius rei documenta alio
 fortasse loco, magis opportuno, clarissima dabuntur

Nos

(e) Baring Clau. Diplom. Tab. I.

 31133
 1813



Nos, misso hoc Codice pereleganti, praesentis temporis rationem habemus, et HENRICI POSTHUMI, cuius memoria sine dubio illatus fuit Bibliothecae, animum adhuc in Posteris Eiusdem Celssimis spirare, magnopere uehementerque gaudemus. Veneramur NVTRITORES NOSTROS MVNIFICENTISSIMOS, singularem, pro Suis erga literas bonasque artes studii, supelletilis huius eruditae curam gerentes. Colimus Eorum gratiam, qua in praesentibus Comitiiis, CVM ORDINEBVS RVTHENIAE SPECTATISSIMIS, de Salute Patriae deliberant, splendoremque tam egregiae regionis conseruare student. Demissa prosequimur pietate TANTORVM ALTORVM insignem plane, quo erga Gymnasium, eiusque antiquam dignitatem restituendam, feruntur, amorem, uoluntatemque propensam, et, sicut innumerabilia Eorum in nos beneficia religione sibi nos maxima obstringunt, sic eandem stabilem fore ac perpetuam gratiam certissime nobis pollicemur. Hac pietate adducti citius nonnulli, fidei nostrae adhuc commisi, Benignitatem Excelssitatemque COMMITVM ILLUSTRISSIMORVM, quam tacite secum uenerati sunt, publice praedicabunt, et Excelsum Munificentiam Animum ita explicabunt, ut Carolus Augustus Israel Otto, Pausens. Munificentiam ipsam declaret, Latine: *Gottlob Friedericus Siegel, Threnicenf. Germanice* proponat Excelssitatem ex Munificentia ortam; Ioannes Gottlieb Reichardt, German. Vitramque hanc Virtutem in COMITIBVS RVTHENIS CELSSISSIMIS admiretur, Latine, et Ioannes Carolus Christianus Fürbringer, German. quibus nos officiis haec Duplex Virtus deuinciat, Germanice exponat. Quodsi negotia grauisima, quibus COMITES CELSSISSIMI, DOMINI INDVLGENTISSIMI, CVRATORES ILL. RVTHENI SVMME VENERABILES, et ORDINES RVTHENIAE SPECTATISSIMI dislinentur, permittant, eos quidem, ut audire crastino dicturos, iisque Gratia sua ac Benignitate subuenire, uelint, demississime obseruantissimeque rogamus, reliquos autem Gymnasii FAVTORES, bonarumque artium AMANTES, desiderio nostro honestissimo satisfacturos speramus. P. P. Gerae April. A. R. S. M DCC LXIV

GERAE

LITERIS IO. HENRICI ROTHII.

Kopiel 78 M 484/26

[Je Bd. 1 Nr. 28 unv.]

78 M 484

(26)


ULB Halle

006 835 457

3







mag 195

CODICEM
ANTIQUVM LATINVM
QVATVOR EVANGELIA
CONTINENTEM
BREVITER DESCRIBIT
ET
ORATIONES QVATVOR
OB
COMITIA RVTHENIAE
IN GYMNASIO HABENDAS
EA QVA DECET
PIETATE ET OBSERVANTIA
INDICIT
HENRICVS AVGVSTVS ZEIBICH
ILL. RVTHEN. PROFESS. ET
BIBLIOTHECAR.

35

L 193

